



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De  
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,  
Commentariorum Libri LVIII**

**Valeriano, Pierio**

**[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678**

Lib. XLII. Arma.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14259**

Circam vero ei sermō florentis ē floribus herba,  
Optata imposuit capiti Pallas Minerva,  
Circumque ei coronam auream caput posuit,  
Quam ipse fecerat inclutus Vulcanus,  
Elaborans manibus, gratificans Jovi Patri.  
In hac artificiosa multa celata erant, mira visu,  
Animantia quaecumque continens alit atque mare,  
Ex illis hic multa indidit, gratia vero resplendebat magna,  
Mimibilibus, animantibus similia vocalibus.

## DE SPECULO.

## EXPLORATIO. CAP. XLVII.

Sunt autem qui speculum explorationis signum esse velint: propterea quod & nœvi, & rugæ, & u-

Unde spe-  
culari pro  
explorare.

## FALSUM. CAP. XLVIII.

Sedenim, sapientius illi rem expendisse mihi videntur, qui falsum ex speculo significari tradiderunt, in quo scilicet quamvis similitudo quædam appareat, eo tamen falsa est, quod in speculo, quæ læva sunt, dextera: quæ dextera, læva referantur, atque ita veritati fucus fiat.

## HYMNIUS. CAP. XLIX.

Alioqui speculum Pindaro est hymnus, in quo scilicet res præclare gestas, virtutesque cuiuspiam celebres possimus intueri.

JOANNIS PIERII VALERIANI  
HIEROGLYPHICORUM

## LIBER XLII.

DE IIS QUÆ PER ARMA  
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD ILLUSTRIS. PRINCIPEM D. NICOLAUM RODIVILLUM OLICÆ ET  
NESUESII DUCEM, PALATINUM VILENENSEM, AC MAGNI DUCATUS LITUANIÆ  
SUMMUM MARESCALCUM ET ARCHICANCELLARIUM, BRESFENSEM,  
SAULENSEM, BORISSOVIENSEMQUE  
CAPITANEUM.

Um jam varios commentarios diversis misissem amicis, dedissemque operam ut argumenti ratio  
unicuique non inconveniens esset, diligenter discipiendum mihi putavi, cuius hanc nostram de  
Armis elucubratiunculam inscriberem. Verum cum arma acrimittenda viro non ignorem: tu  
certe Nicolæ Rodiville magnanime Princeps, animo statim observare meo, teque unum è multis  
delegi, in cuius patrocinio ac tutela, noster qualis is cumque esset in hac re insumptus labor, conquiscere  
deberet. Nam cum multa sese offerrent causa, quæ quemvis ad te vel amandum, vel suscipiendum allicere  
possint, ut animi tui celsitudo cum summa conjuncta clementia & moderatioue, ingenium facile &  
apertum

Uuu 2

apertum, nulla malevolentia suffusum, nullaque avaritia inquinatum, bellicæ laudis militarique gloria flagrans studium, cum illa in primis Caroli V. Imp. Sigismundiq; Sarmatix regis (quos majestatis causa nomino) de insigni tua virtute testimonia tot tantaq; fuerit, ut alter te Ducem renunciaret, ab altero militis maximiq; Lituania imperii & administrationibus ornatus longe clarissimus esses, dignusq; habitus, qui in fortium bellicosorumq; populorum vel flore, vel robore summam potestatem haberes: & in quo omnes rebus secundis animi æquabilitatem & religionis propagationem agnoscerent, adversis incertum releværerent, & disciplinam militarem prudentiamque in administrandis disponendiq; singulis si quererent, & auctoritatem amplissimam libenter retinerent. Hec cum in te sint dona, conerisq; tam pulchro laudabilique exemplo ad eorundem lucem alios multos adducere, & quasi normam boni gubernatori dirigere, merito te omnes strenuorum istic hominum florem, ditionum istarum firmamentum, bonique Principum ornamentum existimant: merito quoq; nos tua Excellentia hosce nostros de Armis commentarios nuncupamus & consecramus. Arma certe hujuscemodi mittimus ad bellum ita delectabilia, ut eadem vel dimi sedens, in alto contrectare possis otio, cum in iis ipsi & disciplinarum cultum, & varia eruditionum rursusq; antiquitatis imaginem bonantissimam sis agniturus. Hæc quæcumq; à me conscripta, meæ in te perpetua observantia testes, probata ad alios venire poteris: equidem nec dubito, quin tuo patrocinio defensa, gratiori omnibus futurum sint. Faxit Deus Opt. Max. ut potestas & voluntas quos tibi dedisti, exitus habeat, qui & illi maxime gloria sint, & Christianis utilitati, & tibi dignitati. Vale.

## JUS IN ARMIS. CAP. I.

Hinc, Jus  
in manu,  
το δεικναι

ἐν τῇ χει-  
ρὶ, apud  
Lucianum

1. in armis,  
Mulierum  
Lacedæmo-  
niarum  
virtus.

Sed habet  
tem caly-  
ptam &  
pedicas.

Cum hasta  
& scuto,  
Sumptum  
ab aristo-  
phane in  
Pæce.

Deorum, ut hinc exordiamur, simulachra armis ornata, auctoritatem, vimque armorum indicant. Nam Græci præcipue deos omnes in univèrsam ferro accinctos fingere consueverunt: ex eo scilicet innuere volentes, armis omnia parere, in armis jus esse, cum tamen Phœnices, ut *ἐξ*, apud Lucianum

## MULIEBRIS VIRTUS. CAP. II.

Quod vero Lacedæmonii Veneris armatæ simulacrum dedicarint, virtutis id: hieroglyphicum, quæ prænituit in mulieribus, Nam cum Lacedæmonii bello cum Messeniis congressi eorum impetum sustinere non possent, pedesque sensim retroferrent, uxores eorum hoc animadverso repente arma corripunt, impetuque in hostes factæ non tantum lapsam maritorum aciem resistuerunt, verum & Messeniis ipsos fugaverunt. Eas inde amplexi Lacedæmonii, prout erant armatæ, cum armatis promiscue, ut Lactantius ait, concubuerunt. Atq; ita mox armatam Venerem colere ceperunt. Neq; tamen Venerem tantum, quam *ὕπερθε* vocitabant, sed deos, deasque omnes cum lancea figurabant, ut eas ita redderent honestiores. Nihil enim apud eos ignavia turpius, nihil bellicæ virtute præstantius habebatur. Alia vero ratione armatæ virgines in sacrificiis adhibentur: eas enim in numis aliquot, atq; etiam in lapideis signis atq; memoriis videas lacinia toga in humerum rejecta figuratas. Hæ sunt virgines, quæ armatæ dicebantur, quod in armum ita vestes conjicere sacrificii ritus deposceret. Unde etiam poma ex alieno in armum legere, legibus prohibemur, tanto scilicet numero asportare, quantum humerorum onus sit. Hoc quidem *καὶ παρὰ τὸν νόμον* fate-mur, sed hoc loco necessarium.

## MARS ULTOR. CAP. III.

Videre autem est plerisque locis, atque etiam in numis, signa Martis Ultoris cum scuto & hasta, quæ nimirum belli indicia sunt, cum omnis ejus ornatus in eo versetur, ut arceat à se cladem, & hostibus inferat calamitatem. Hinc proverbium illud emanavit, *Καὶ δόξαι ἡγῆσθαι ἀσπίδος*: cum quid omni conatu aggrediendum innuimus. Hujusmodi vero statuam sibi Sesostris erigi curavit supra qua-



At tuor cubitorum magnitudinem, ut ita mortales reliquos superasse gestarum rerum gloria testaretur. Nam eorum, quae placida gesserit Rex hic Aegypti, pleni sunt omnes antiquitatis libri.

BELLUM INDICTUM. CAP. IV.

Apud Romanos indicti belli signum erat hasta ferrata praestitutaque, facialis manu pratenta, quam ubi primum in hostium fines emisisset, tribus puberibus praesentibus, causa prius exposita, bellum iustum indictum, fierique ceptum intelligebatur. Hinc apud Maronem Turnus primus,

— Jaculum intorquens emittit in auras  
Principium pugnae.

Enid!.)

ARCUS ET SAGITTA.

TUMULTUS. CAP. V.

Aegyptii sane sacerdotes tumultum, aut belli principium esse factum, significare cum vellent, armatum hominem figurabant, qui telum arcu contenderet, & ad ferendum paratus videretur. In Divinis tamen literis per arcum & sagittas ab improbis hominibus paratas, interpretes totum belli apparatus accipiunt, & hujusmodi significatione Psalm. 119. *Dedisti metuentibus refugium, ut declinare valeant arcum*, quamvis in Hebraicis codicibus longe alia lectio reperitur. Ita tamen legit Euthymius, & hic arcum recipit Ecclesia.



SOLARES RADII. CAP. VI.

In Apollinis vero Dianaeque simulachris, arcus & sagitta vibratilem radiorum vim ostendunt. Unde Lucretius hieroglyphice ita eos expressit:

*Non radii Solis, neque lucida tela divi.*

Eadem in Sagittario caelesti signo, vim ejus a remotissimis etiam locis in plantas & herbas permeare, quae quidem ubitibi sunt, solari omnino vi vividae, & incolumes conservantur. In Gallieni sane numis Sagittarii signum est, quale caeleste illud fingitur, cum inscriptione, APOLLINI CONS. AUG.

Gallieni numus.

DE PHARETRA. CAP. VII.

Minime vero praetermittendus est locus in carminibus divinis Psalmo x. *Siquidem impii arcum sagittas intenderunt, promptuariis sagittis pharetram impleverunt, quas in quempiam probi cordis hominem immitterent.* Nonnulli Paraphrasta, dum novitati forsitan plus aequo student, pro eo quod apud Graecos est, *ἠπίου αὐτῶν βέλη εἰς Φαρέτραν*, *Sagittas ad nervum accommodarunt*, ponere maluerunt: nempe quod ita id exponendum codex Hebraicus admoneat.

COR, CONSILIUMQUE. CAP. VIII.

Damantius tamen Graecam secutus lectionem, ita pharetram agnoscit, ut quid habeant hieroglyphici, etiam interpretetur: per eam enim cor intelligit, per sagittas, consilia, & cogitationes? per arcum, os, & labia. Nam & alibi dicitur: *Cor impii repletum est veluti pharetra sagittis venenatis.* Consilia enim cogitationesque pessimae impiorum sagittae sunt: arcus vero, os & labia: quo distento, quippe ad aperto, virulenti cordis spicula depromuntur ad vulnera. Quod vero dictum est de lateribus, non otiose appositum: si quidem hi cum lucem odio prosequantur, in tenebris delitescunt, & in caeca malignitatis atque ignorantiae latibula sese abdunt. Jam vero apud Lucianum legas, *ὡς τῶν ἐπιμιδῶν σὸνόντων* stare aliquem in insidiis incognitum, qui arcu semper intento speculetur, quae latus exeras, ut ea te quamprimum parte conficiat. Ubi nimirum delatorum intelligas malignitatem, qui dicta factaque explorant tua: ac simul aliquid exciderit imprudenti, collectum statim ad dominum deferunt, ut aliquod inde tibi detrimentum accedat. Olympius quoque Ode secunda, tela pro verbis pharetram pro sententiis a Pindaro positas invenias: in hunc modum, *πολλὰ μοι ὑπ' ἀγνοίας*

Sic telum pro consilio, via, ratio, ne, ut sapientia.

Huic rei a-  
liud inveni-  
tur telum.  
Et Euseb. Cbil.  
2. centur. 2.  
Prov. 40.  
Cor Plutonis  
ab Hercule  
sagitta pas-  
situm.  
Amoris sa-  
gitta.  
Hic aspectu  
enim nascit-  
ur amor.

ὠκεία βέλη ἐπιπέδου τῆς Φαρέτρας φωνήνται συνεπίση, Multa mihi tela velociora sub cubito in pharetra so-  
nancia exaudiuntur, propter omissionis acumen, & Laudationum opportunitatē, inquit Interpretes. Pre-  
clara enim esse debent, neque ab obtuso ignavoque ingenio prolata, quæ dicuntur, sed ea opportu-  
no etiam loco disposita. Alibi diximus, mysticæ Philosophiæ interpretes, Plutonis cor ab Hercule  
sagitta vulneratum, hieroglyphice significare velle nullum esse tam abditum in rerum natura locum,  
quo non pervenerit Philosophia: ejus enim scientiæ latebras multi memorant. Nam & Nazianze-  
nus ait Basilium Philosophiæ latebras omnes penetrasse.

VULNERA AMORIS. CAP. IX.

**A**Mori vero arcus in primis dedicatur, propterea quod eo vulnere saucii semper eminus feriun-  
tur, veluti sagitta quadam ab amatis oculis emissa, & in amantium oculos recepta. Sunt vero  
illi, ut philosophatur Plato, radii quidam tenuissimi, qui ex intimo cordis expirant, ubi vitalis fan-  
guis dulcissimus calidissimusq; sedem habet, viaque sibi, ut Musæus ait, per oculos patefacta, per  
amantis idem talem oculos illapsi, ad intimum ejus cor penetrant: accensoque interim magis ac  
magis sanguine, bilis etiam inflammatur, unde illi sequitur dolor, quem affixum esse cordi amantes  
omnes profitentur, quicumque illos eventus, aut durus, aut facilis sequatur. Hinc etiam adjectæ ad  
amorem faces, de quibus alio loco differuimus.

AMOR. CAP. X.

**A**Pud Conjectores sane, si quis atate florida vir aut femina pectus sibi transfixum imaginatus  
fuerit, amorem significat. Non æque id in grandævo, siquidem huic id somnii triste aliquid, &  
illatibile nuncium affert.

POENITERE. CAP. XI.

**I**N Divinis vero literis sagittæ sæpius ponuntur pro doloribus, qui ex rerum perperam actuum  
conscientia cor stimulant, compungunt, exulcerantque. Ita Psalmo octavo supra xxx. *Quoniam  
sagittæ tuæ infixæ sunt mihi. Attigerunt me, transiit Symmachus.*

COELUM. CAP. XII.

**S**Ed enim Philosophi cum amoris cognomen coelum intelligant, non otiose commentii sunt, &  
Salas & sagittas velocitatis indicia figurare, simulque faces, utputa ignem, quo coelum ipsum  
maxime spectabile est, ac puerum denique, cum senium auferant à cælo. Amorem insuper primum  
omnium genitum autumant, & coelum initio creatum à Deo sacræ testantur literæ.

VELOCITAS. CAP. XIII.

**E**Sto igitur sagitta velocitatis etiam hieroglyphicum, cujus vero Virgilius juvenibus cursu pe-  
dum certaturis cum Equum primo præmium proposuisset, alteri Amazoniam pharetram, ple-  
namque sagittis pollicetur. Et Armenii sagittam Tigrin vocant, unde & velocissimum animal Ti-  
gris, & fluvius rapidissimus, qui ex Armenia in Mesopotamiam labitur. Ibi enim sagitta Tigris dici-  
tur. Et Psalmo septimo, quod minatur Propheta futurum, ut Deus gladium suum expediat, & ar-  
cum intendat, interpretes per gladium acerbiter, per arcum celeritatem mortis indicari tradunt.

**A**b hac sagittarum velocitate vulgus totius Italiæ hodie cum quid properandum esse innuit, voca-  
bulum formavit Affrezzare, ex quo sagittam Frezzam vocant. Sane Abarin genere Hyperboreum  
apud Scythas tantæ velocitatis hominẽ fuisse tradit Nazianzenus, ut cum sagittam, veluti fabulat-  
tur, accepisset ab Apolline, emissam eam pari cursus pernitate consequeretur. quo signo populos  
circumiens responsa dabat: inde sibi fidem acquirens, quod conatus ille longe supra humanas vires  
esse putabatur. Sed non fabulose apud nos dictum, *Sicut sagittæ in manus potentis, ita filii excussorum*  
per quas Eucherius Apostolos hieroglyphice significari tradit, qui orbem terræ volatu perniciosissi-  
mo peragrantes, doctrina sua mortalium, qui nondum Deum norant, corda penetrarunt. *Filii vero*  
excussorum, quia de prius excussis telis, hoc est, Prophetis, Apostolis geniti sunt. De his Psalmogra-  
phus ait: *Misit sagittas suas, & alios alio delegavit.* Perisq; enim locis sagittæ verba divina sunt, quæ  
penetrabili charitate corda nostra configunt. *Hic arcus ille erat, quem tetenderat, paratumque ad*  
ferien-

Act. lib. 5.  
Et Med.

Alaris mi-  
rae volacis-  
tu homo.  
Itine de ve-  
locibus Na-  
zianzenus  
ad Basilium  
Act. p. 106  
et 107. Ab  
aridis sa-  
gitta.  
Psal. 127.

A ferendum aservabat quamvis hoc nonnulli ad minas referant, quod arcus inter alia significat, minarum etiam signum sit. Unde Horatius:

*Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus.*

*De arte poetica.*

CONTRARIETAS. CAP. XIV.

Ubi tamen sagittæ duæ parallelari positu jacentes animadverse fuerint, quarum cuspides altera ad alterius pinnas vicissim convertantur, presentaneæ contrarietatis signum esse volunt.

FRAC TA BELLI FEROCIA. CAP. XV.

Quemadmodum vero arcus intentus belli signum est, ita fractus sublatam belli ferociam ostendit. Et in ostentis eodem accipitur significatio: veluti quod in recentiorum historiis legitur, ea nocte, qua Rex Attila sanguinis eruptione, quæ profluvio effusissimo de naribus emissa est, suffocatus & extinctus est, supremum numen Martiano Imperatori apud Constantinopolim agenti apparuit in somniis, arcumque Regis defuncti relaxatum, ut alii fractum, ostentare visus est, quod de bellica ejus ferocia jam extincta signum fuit. Et in Divinis literis scriptum est, Deum eorum contere arcum, & arma confringere, qui pietate posthabita spem omnem in ferocitate sua posuerunt.

*Regis Attilæ mortis augurium.*

*Psal. 46.*

PERSÆ. CAP. XVI.

Ab eo vero armorum genere, quo Persæ plurimum utuntur, sagittas numis Darius impressit: sive ita gentem suam significare voluerit, sive potentiam suam late diffusam indicare. Nam & in Artoserxis numo sagittarius miles cufus erat, eaque de causa numi illi Sagittarii vocitabantur, ut Plutarchus in Apophthegmatis. Unde non infacete dixerit Agefilaus, triginta se millibus Sagittariorum Asia pulsum, cum ea summa Rex corruptis per Timocratem Atheniensibus effecisset, ut bello adversus Lacedæmonios concitato is provincia decederet. Quod quidem dicerium proxime accedit ad Gylippi Noctuas, de quibus loco suo.

*Darii & Artoserxis numi.*

*Agefilæ dicitum.*

PESTILENTIA. CAP. XVII.

Sagittas autem Apollinis in Græcos immittas, pestilentiam manifestissime significasse nulli dubium, de quibus late apud Homerum. Hæ vero hieroglyphice solares radios indicant corrupto cæli tractu contagem illam dispergentes. Et Christiana pietas è divinorum numero Sebastianum sagittis impetitur, dum Christo fidei testimonium præstat, adversus pestilentiam sibi tutelarem proposuit.



*D. Sebast. tutelaris pestilentie.*

DAMNATIO. CAP. XVIII.

Sunt qui telum in sagittæ cuspidem ita figuratum damnationis signum esse autement, aut explodendum summo vendumve aliquod inepte dictum in scriptis: id quod Aristarchi summi Grammatici iudicio inter hieroglyphica receptum est, quod eo ille signo usus sit in adulterinis apud Homerum carminibus summo vendis.

DE HASTA.

SAPIENTIÆ VIS. CAP. XIX.

Quod Palladem armatum ubique conspicimus, indicat, arma parum proficere, nisi quæ per sapientiam administrantur: nam stulto præcipiti que ingenio Imperatores, quot & quantas & sibi & Reipubl. calamitates attraxerint, ut alia dissimulem, clades illæ insignes ad Trebiam, ad Thracimenum, ad Cannas acceptæ, facile ostenderunt. Porro autem hasta in manu Palladis, ingenii vim atque promptitudinem ostendit. Unde apud Martianum legas,

*Hasta etiam vivens penetrabile monstrum acumen.*

FAMA.

*Alexandri  
factus.*

**A**Dhæc lancea in quacumque videatur imagine, præter militiam ipsam famæ etiam celebritatem indicat. Quare Lyfippus, ut Plutarchus ait, eam in Alexandri manu posuit, fulmen quod afflicerant, aspernatus, utpote qui celebrem eum una vix ætate existimaret, dummodo quis veritatis studiosus, ea tantum quæ re vera gesta fuissent ab Alexandro collegisset. Quod vero ad extensionem in longinquum facit, Telum appellant quicquid à manu jacitur, quod *πλήξ* & *πλάξ* procul apud nos sonat. Quamquam apud Cajum Jurisconsultum telum vulgo appellaretur, quod ab arcu tantum mitteretur.

## HOSTIS INFENSISSIMUS. CAP. XXI.

*Ad verbum  
à Plin. libr.  
38. cap. 4.  
Siliæ 177  
427 abas.*

**I**nfensissimum hostem, qui omnes, quo maxime lædat, vias exploret, nonnulli significare cum volunt, jaculum terræ appressum cuspide in ejus læva statuant, dexteram vero oriri objiciunt, eo gestu, ut in eam inspuat: nempe quod persuasum sit icibus aggravari saliva in manum ante conatum ingesta. Id vero ea de causa fit, quia manus ita magis solidescit, & major in vibrando vis accedit, non autem quod ea quædam sit fascinatio, ut Magi putant.

## OFFENSIONIS ILLATÆ POENITENTIA.

## CAP. XXII.

*Idem à Plin.  
lib. 38. c. 4.*

**N**AM illud forsan pertineat ad Magiam, quod à jactu, si quem inferendæ jam injuriæ poenitentur, in mediam expuendo manum, qua vibraverit, lævari percussum à pœna prodiderunt. Alio qui pleraque alia expuere, contra omnes fascinationes & pericula amuletum esse creditur. Unde apud Theocritum *τρεῖς εἰς ἐμὸν ἐπίουσι κόλπῳ, ter in sinum meum inspuis*. Meminere hujus rei & Plinius, & authores alii plerique.

## SUMMUS HONOR. CAP. XXIII.

*Hasta gestamen  
natum.*

**S**ED enim ne Lyfippum adeo malignum aut invidium in Regem suum, ut paulo ante dictum, fuisse suspicemur, sciendum hastæ gestamen haudquaquam inter vulgares honores habitum, tantæq; apud veteres venerationis fuisse, ut loco diadematis pro insigni Regio haberetur. Neque temere Virgilianus Æneas,

*Æneid. l. 12.*

*Bina manu lato crispans hastilia ferro,  
Ingreditur.*

*Ibidem.*

Et Regis filius Pallas apud eundem, telo raptò volat obvius ipse Æneæ. Neque quidem ea solum donari solitos tradunt, qui fortiter in bello fecissent, verum & Junonem Curitin ab eo nuncupaverunt: Curis enim hasta Sabinis erat, quod jam apud omnes pervulgatum est.

## STRENUUS. CAP. XXIV.

*Plin. lib. 7.  
cap. 28.**Hasta pura.*

**E**ORUM qui fortiter fecissent insignia, more quodam hieroglyphico apud veteres fuisse reperio hastas puras, quibus milites ab Imperatoribus donari soliti, eaque de causa Sicinium Dentatum, Plinio referente, hastis puris duodeviginti donatum. Hastas vero puras, Donatus & Servius interpretantur, sine ferro, eo præsertim Maroniano visu:

*Æneid. lib. 9.*

*Ille, vides, pum juvenis, qui nititur hasta.*

Qui quidem futurus erat Rex, multorumque Regum parens.

## BELLUM. CAP. XXV.

**A**PD Carthaginenses, genus intractabile bello, belli hasta erat indicium. Hinc cum bellum velle se cum Romanis professuri essent, Romam ad eos hastam suæ voluntatis signum miserunt. Sed enim apud Macrones, dare accipereque lancem, sanciti fœderis signum fuit, cujus rei meminit Xenophon, De reditu Græcorum IIII.

## SUMMA IMPERII. CAP. XXVI.

**E**A vero de causa viros fortes hasta donari putat Festus Pompejus: quod hasta summa armorum & Imperii esset, captivosque sub ea vendi morem fuisse, proindeque rei fortiter gestæ signum erat.

erat. Et sub jugum mittere, qui superati essent, quique per vim sub Imperium devenissent, apud historicos frequentissimum. Constabat vero jugum ex hastis tribus, duabus quidem fixis, & alia in transversum ad eas alligata: sub his enim distinctos transire cogebant, inquit Festus, ubi distinctos intelligendum armis spoliatos. Hinc etiam mos apud Romanos fuit, ut nuptiarum capita cœlibari hastâ comerentur, propterea quod quæ nuberet, imperio viri subiceretur. Cœlibarem autem hastam vocabant, quæ in corpore gladiatoris abjecti occisique stetit.

CONJUNCTIO MARITALIS.

CAP. XXVII.



Jugum militare.

Hastâ cœlibaris.

Adum hastâ ipsa in corpore gladiatoris hæssisset, conjunctaq; fuisset, ita debere sponsam viro conjugij, ut quod nostræ monent Divina litera, duo sint in carne sua. Alii boni tantum omnis causa factum autumant, ut vota hinc ostenderentur, fore ut viros fortes genituræ essent.

De hastâ qua homo occisus sit, mira Plin. l. 28. c. 4.

DII CAP. XXVIII.

Præterea, ut Justinus ex Trogo memorat, ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas colere, ob cujus religionis memoriam hastæ adhuc, ait ille, deorum simulacris adderentur. Quinetiam simplex baculus surrectus apud Ægyptios divinitatis hieroglyphicum fuit. Atque hoc illud est, quod Pædianus ait in Divinationum commentario non placere sibi eorum opinionem, qui delubra exilliant ligna delibrata, id est, decoriata, pro simulacris deorum more veterum posita. Id fieri solitum à veteribus Cyrillus inquit, quod natura divina nullo modo neque dejici neque labefactari potest, sed inconcussa firmaque suo robore communiat, sustinereq; omnia & omnium fundamentum esse perhibetur. Sed ut ea etiam, quæ ad ineptias usque facta sunt in hoc genere commoremur: Alexander Pherus hastam, qua Polyphranem avunculum interemerat, consecravit, additis etiam corollis, ei tamquam Deo rem divinam fecit. Tantum vero hastâ à veteribus tributum est, ut sceptrum illud Agamemnonis, multorum Regum successione apud Homerum celebre, Chætroni Bæotiæ populi divinos illi honores meditati, quo cultus ejus fieret angustior, Hastam appellarent. Colebant vero illud uti numen singulis diebus hostiis à sacrorum antistite immolatis. Cui etiam (tanta fuit hominum vefania) menta variis instructa carnibus parabatur, omniformiumque placentarum libis referta semper adstabat. Jam & Ceneâ illum, quem ex fœmina in virum à Neptuno commutatum Græci fabulantur, primum omnium ajunt comites suos jussisse per hastam suam jurare. Unde mox proverbium, *Hastâ Cenei*, de quo apud interpretem Apollonii, & alios, Argonauticis, plura reperias.

De delubris Macro. lib. Sat. 3. c. 3.

Hastâ à veteribus tributum. Ovid Met. lib. 12.

τὸ κατὰ τὴν ἰστορίαν ὁ δὲ θεὸς.

DII PENATES. CAP. XXIX.

ET Penates, qui apud Romanos tanta religione colebantur, armatos, hastatos quippe fuisse, memoria proditum est. Dionysius enim duos ait adolescentes fuisse militari habitu, & vetusto opere, qui sederent, & pila in manibus tenerent, cujus rei testimonium titulus subesset, DII PENATES. Eos Nigidius putat esse Apollinem & Neptunum, quod in Apolline calor & ariditas, in Neptuno humor & frigus intelligatur, quæ nostræ compositionis principia perhibentur. Et quoniam Penatibus magnorum deorum cognomentum attributum est, unde Maronianum illud:



A Macro. lib. 3. cap. 3. Saturn.

En. lib. 8.

Cum sociis natoque, Penatibus & magnis diis,

Xxx

erudi-



*A Macrobi-  
indidem.*

*Deorum  
Penatium  
origo & in-  
stitutio.*

eruditiores particulam, Et, ad expositionem positam volunt. Alii eos Jovem & Junonem esse volu-  
erunt, horum enim præcipuum esse munus, juvare mortales, atque inde utrique nomen. Alii Ca-  
storem & Pollucem Deos magnos vocari periuasum habere. Sed quoniam in nullo deorum magis  
quam in diis Penatibus & Poetæ & Historici occupantur, tum ipsa vetus Romanorum religio tam  
multa, tam sæpe de his in medium protulit, haud quaquam ab instituto negotio alienum fecero, si  
super his aliquid ex remotiore vetustate repetiero. Pallantis filiam legimus, cum Dardano in Arcadia  
nuberet, dotis nomine mûnera Palladis attulisse, scutum quippe breve cælo lapsum, quod Palladium  
appellarunt, cumque hujusmodi scuto, magnorum deorum simulacra. Orta autem seditione in Pe-  
loponneso, Dardanum inde cum uxore & magna Arcadum manu vertisse solum, atque in Samo-  
thraciam navigasse, ubi dotalibus muneribus templum erexit, quibus occultas instituit caeremonias,  
ut sacra ea separaret à vulgi cognitione. Simulachra itaque in subterraneo specu condidit, quæ mox  
cum inde in Asiam transmigraret, secum advexit, & in Dardania à se nuncupata collocavit. Ilius cum  
Ilium ædificasset, eo deos ipsos transtulit. Aeneas ex incendio Trojano ablatus in Italiam venit, eosque  
Lavinii posuit. Ascanius in suam Albam traduxit, pulcherrimo illis templo ædificato. Verum ajunt  
sequenti nocte Penates, nullo ferente, Lavinium rediisse, ostia clausa inventa, parietes integros, &  
tectum nulla in parte violatum: quo miraculo motum Ascanium, ajunt, sexcentos curatores Lavi-  
nium misisse, qui sacra custodirent, præfectumque his antistitem Egestum nomine. Iidem demum  
Romam translati cum urbem approbassent, nequaquam abierunt. Cumque eos Romani in urbis  
Imperii sui custodes admisissent, ne per vim aut dolum auferri possent, eos in subterraneo, ut  
Dardanus fecerat, specu, templo ibi dedicato, posuerunt. In quo quidem templo id præcipue rei-  
gionis observabatur, ut spueret nefas esset. Ad hoc specu, & prælinum Dardani institutum, Virgilius  
alludit, cum scripsit:

*Æneid. l. 7.*

*Æternumque adytis effert penetralibus ignem.*

Nam sacra Penatibus sine Vesta nunquam fieri solita, sed una cum Vesta semper illi colebantur.  
Quid vero Vesta foret, declarat Naso:

*Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige, flammam.*

Et Sinon apud Virgilium, ubi se Penatum offensam vereri simulat, si patriæ secreta hostibus prodit, C  
cujus cura Penatibus credita:

*Æneid. l. 2.*

*Vos, aeterni ignes, & non violabile vestrum.*

*Tellus numen, ait.*

Sed quoniam de Vestali igne, & diis Penatibus alibi etiam differimus, hoc pro loco commemorat-  
se sufficiat.

#### DII TUTELARES. CAP. XXX.

*Hinc Plau-  
tus in Mo-  
bellaria,  
Nimio plus  
sapio sedis.  
Bila quid.*

Id vero tutelares eos esse ostendebat, quo sederent, quod pila gestarent, quod adolescentes essent.  
Nam sessio hieroglyphicæ firmitatis & constitutæ rei consiliivæ signum habetur. Pila propulatio-  
nem malorum, incommodorumque significant. Adolescentia incrementum, quod Imperio esset in  
sapio sedis die accessurum. Quod vero genus teli pilum sit, à Vegetio ita describitur: *Missilia pedibus exercituum  
pila vocabantur, ferro subtili præfixa trigono novem unciarum, sive pedali, qua scutum infixa non possent  
abscindi, & lorica facile percurrerent.*

#### DE FRAMEA. CAP. XXXI.

Frameæ vocabulum, & id genus teli, Germanicum est, de quo Cornelius Tacitus in Germano-  
rum moribus in hunc modum scribit: *Hastas, vel ipsorum vocabulo Frameas, gerunt, angusto & bri-  
vi ferro: sed ita acris, & ad usum habili, ut eodem telo, prout ratio poscit, vel cominus vel eminus pugnent.*  
Ita Eques scuto frameaque contentus est.

#### MORS. CAP. XXXII.

In Divinis literis framea, ut & alia telorum genera mortis hieroglyphicum habetur. Ita Theologi  
eo Psalmi loco: *Erue à framea Deus animam meam.*

DE

DE SCUTIS. CAP. XXXIII.

**L**ocus exigit, ut hastis scuta etiam adjiciantur, quorum varia sunt hieroglyphica, quia varia sunt <sup>Scuto donati.</sup> <sup>Ensid. l. 9.</sup> eorum species, varii etiam usus, neque facile est omnium rationes exquirere in tam varia tamque frequenti armorum pene omnium mutatione, quae unaquaque aetate facta est: eas tamen non formas amplectemur, quas in numis, aut veterum monumentis figuras observavimus.

STRENUUS II. CAP. XXXIV.

**P**atri honore cum hasta scutum fuit, quo inter praemia reliqua militaria donari soliti sunt, qui strenue fecissent, cujus rei exempla passim apud historicos. Et apud Virgilium Aeneas clypeum afferri iussit, quo juvenem egregium Nisum praestanti munere donaret. Praecipuum vero honorificum apud Argivos fuit scutum Enhippi, puero, qui tale aliquid meruisset, gestandum tradere, eoque inserto pompam ducere. Argivi porro primi omnium scutis ligneis usi, eo praelio quod inter Proetum & Acresum fratrem gestum est, pro tyrannide occupanda. Sedenim de honoribus inferius.

SALUS. CAP. XXXV.

**C**um Palladium superius caelo lapsum, scutum fuisse diceremus, significatum ejus ad Imperii tu- <sup>Peltae caelo</sup> <sup>delapsa.</sup> telam spectare interpretati sumus. At identidem observatum est Peltae quoque significatum salutis esse, quod interpretatione Numae desumptum est: is enim delapsam caelo peltam salutem urbi immissam interpretatus est, cum octavo ejus anno pestilentia per universam Italiam debacchata, Romam quoque urbem invasisset. Utrum vero gravis alioquin author peltam proprie necne dixerit, quod scutum Numae tempore caelo delapsum fertur, & lapsa ancilia caelo Maro dixerat, alii viderint. <sup>En. lib. 9.</sup> Legi tamen de Saliorum ornatu, consueisse illos capite gestare pileum instar conii, non obrotundum, ut vulgo: thoraca aeneum induere, dextera manu ancile, laeva peltam aeneam circumtulisse: quamvis, ut dictum, & laeva ancile gerebat, legamus.

PELTAE FORMA. CAP. XXXVI.

**Q**uoniam vero pelta Maroni lunata dicitur, operae pretium me factum crediderim, si figuram ejus ex antiquis monumentis describero. Nam ea Romae multis locis aspicitur, nusquam tamen speciosius quam in marmore quodam conditorio, quod nunc in hortis Pontificio Palatio subiectis pro aquae temporariae alveo ab Leonina porticu spectatur. Ibi pugna quaedam Amazonum incisa mira quadam arte, sive ea Trojana sit, sive, quod potius reor, quae ad id genus erraticis in Scythia commissa est. Ita viri mulieribus parcere, invitique obvias fauciare videntur, cupereque eas potius captivas facere, quam laedere. Omnes illae peltis armatae sunt, quarum species in hunc modum describi potest: ut scilicet circulus descriptus linea diametrali dissecetur, pars altera quantum cubiti manusque ministerio inserviat relinquatur, altera duobus a lateribus excavetur, ita ut in eorum medio spatium sit insertando brachio, cujus hoc sit propugnaculum. Extrema ad scuti marginem lunentur in cornua. Orbes illi duo hinc inde exempti, insertanda si opus sit hastae alter commodus, alter ad inspectandum inserviat.

PRIMA ARMENICA. CAP. XXXVII.

**V**ariabat vero peltarum forma, qua parte manus erat inferenda: ut in prima Armenica incisura erat rectangularis.

SECUNDA ARMENICA. CAP. XXXVIII.

**Q**uae in secunda, orbicularis fieri consuevit. Tum etiam coribus, cum pelta primae caeruleo color est, in alba parma: secunda vero, purpurea in parma ipsa caerulea: in utraque vero pelta aureus umbilicus.



En. lib. 6.



XXX 2

MENA-

## MENAPII. CAP. XXXIX.

**M**enapiorum autem pelta rubra erat in alba parma, sed infra in eo albo sub pelta canis lutei coloris, pedibus ad cursum quantum fieri possit, exporrectis, utero ad peltam verso, dorso parmae superficiem spectante.

## VESONTES. CAP. XL.

**V**esontes, qui sub illustri viro Magistro peditum militabant, parmam habebant peltis quatuor caeruleis insignem, quadrangulari situ intra parmae marginem & centrum dispositis: centram autem in partes quatuor decussatum, quarum duae albae, caeruleae duae. Circa centrum coloris rubri circulus, & in parmae ambitu alter itidem ruber conspicitur.

## ANCILIA. CAP. XLI.

*Antonini Pii numisma.* **E**jusdem omnino significati Ancile est, cujus figura, ut ex veterum numis habetur, ovalis est, ductu quidem oblongiore: quod, ne cui dubium relinquamus, ex Antonini Pii numo didicimus, ab cujus altera facie scuta tria una serie disposita, ea qua diximus figura conspiciuntur, quibus inscriptio subiecta est, ANCILIA. In altero Antonini ejusdem numo scuta sex habentur anciliorum specie, ut paria duo, uno super alterum sublato, partem inferiorem ostentent, qua scilicet brachium insertatur: mox singula utrique pari appensa, quae umbonem spectandum objiciant, in eum quem vides modum. Litera nonnullae in eo quem attrectavi numo detrita sunt, una excepta locutione, SUPERATO: ubi etiam duo prima elementa ita curta sunt, ut vix discerni ab oculatissimo quoque possint.

## SAPIENTIA. CAP. XLII.

**E**a plurimum forma scuta sunt, quae Palladi dedicantur: quamvis non negarim orbiculari etiam specie nonnumquam facta, cujusmodi est Argolicus clypeus, quem Maro cum Phœbea confert lampade. Hieroglyphicum vero id esse plerique volunt, ut orbem indicare videatur, qui sub clypei specie regatur à sapientia. Quare Martianus Capella, qualisqualis author est, ita de Pallade ait:

*Hinc tibi dat clypeum sapientia, quod regat orbem.*



## PAVITATIO. CAP. XLIII.

*Quoniam Medusa caput inspicientes in sacra vertitur.* **D**E Medusa vero, quae sit in umbone medio figurata idem sentit, quod in serpentis commentario diximus, ubi de Domitiano loqueremur, qui Medusae signum gestare solitus est ad stuporem, quem affectabat de se inter mortales concitari. Martiani versus de Medusa:

*Quod pavidum stupitet sapiens solertia vulgus.*

## DEFENSIO. CAP. XLIV.

*Scipionis dictum.* **I**ta vero scutum pro defensione ponitur, ut milites eos ignominiose notari passim videas, qui plus salutis & spei in scuto, quam in gladio possident, Scipionis praecipue dictorio notum, cum militi, qui clypeum elegantius ornaverat, dixit: *Non miror quod clypeum tanta ornaris cura, in quo plus praesidii statuas, quam in gladio.* Scuto vero



A vero nos coronatos ait Palmographus pro tuto circumseptos munimine: monitiones enim plurimum in orbem circumduci consueverunt.

DEDITIO. CAP. XLV.

Est & deditio signum clypeus, si caput ei summittatur, quod apud Appianum legas, ubi Afranii & Petreii turmae quaedam a Caesare circumventae, capita clypeis subiecere deditiois indicio. Alibi scuta supra caput sublata, & hujusmodi junctis umbrionibus progressus oppugnationem ostendit: qualia Romae passim in columnis & triumphalibus arcubus, aris, clypeisque conspiciuntur.

INITIUM PUGNAE. CAP. XLVI.

Scuta vero hastis illis pugnae initium significabant: siquidem moris erat cum primum hostes collatis signis in propinquum ita processissent, ut jamjam pugna esset ineunda, ad concitandos milites uno eodemque tempore sub datum signum scuta percutere hastis, strepitu quam maximo possent excitato: quem morem apud Marcellinum invenias. Eundem morem hunc a Graecis observatum tradit Xenophon, sed ad Equos incitandos fieri solitum. Apud Philostatum etiam, ubi de expiationibus ad Achillis tumulum agitur, legere est, milites qui ad tumulum succederent, post hymnum, quem cecinissent, scuta hastis solitos incutere, quemadmodum in bello fieri solet, cujus hae sunt verba: *ωρεσθησαν δε τῶ σήματι μετὰ τὸ ὕμνον, αἰσῆς μὲν: ὡσπερ ἐν πολέμῳ, περιεδραπέτο.*

PLAUSUS. CAP. XLVII.

Quod vero milites initio pugnae facere consueverunt, togati, fabula vel concione, quam spectatum vel auditum venissent, absoluta, scabellorum crepitem faciebant, eo scilicet plausu actoribus gratulati. Hinc apud M. Tullium oratione pro Caelio legas: *Deinde scabella concrepant, auleum tollitur.* Diciturque illud de Caligula apud Suetonium: *Et quondam tres consulares secunda vigilia in palatium accitit, multaq; extrema metuentes super pulpitum collocavit: deinde repente magno tibiarum & scabellorum crepitu, cum palla tunicaque talari profliit, & decantato canticò abiit.*

HONORES. CAP. XLVIII.

Clypeis unde nomen incidi, describere facta pulchra moris fuit, unde qui nihil adhuc strenue in bello gessissent, alba utebantur parma, de quo Virgilius: *Parmaq; inglorius alba.* Donabantur ab Imperatoribus honori militibus, atq; etiam diis, quare saepius apud Livium legas, argentea clypea templis illata, ac diis dicata. Hic nonnulli vocabulum à sculptura factum voluere, quod in his omnino imagines haberentur, in qua quidem sententia Plinius est: *scutis enim (ait ille) qualibus apud Trojā Clypei, etymon. pugnatum est, continebantur imagines, unde & nomen habuerunt clypeorum, non, ut perversa Grammaticorum subtilitas voluit, à cluendo deduci.* Sed quoniam in Grammaticos incidimus, inter clipeum per i, & clipeum per u, differentiam ponit Cornelius Fronto, clipeumque per u, quae omnino ypsilon Graeca est, imaginis esse dicit, per i vero armorum. Apud Virgilium tamen, *Mutemus clypeos* legas, ubi de armis dubio procul intelligendum. Sed & in iis imagines fuisse, Servius attestatur, qui Graecorum in Clypeis Neptunum, in Trajanorum Minervam pictam fuisse dicit. Sed nihil sit horum, quomodo se pro Trojanis venditassent, nisi Trojanorum insignia in clypeis apparuissent? Sedenim alii sunt, qui genus, non scriptioem, differentiam facere putarint: ait enim Labienus, clypeum neutro genere Imaginem significare, virili vero inter arma poni. A quo diversus est Pomponius dubii sermonis libro secundo, ubi Clypeus & Clypeum indistincto genere dici ait, sed litera differre, ut pugnatorium per i, Clipeum dicamus, imaginem vero per u, Clupeum, ut etiam ex Cornelio dicebamus. Eam vero differentiam improbat Charisius, qui Clipeus per i, & Clupeus per u, non alia ratione dici asseverat, quā Maximus & Maximus, Optimus & Optimus, propter communionem i & u literarū. Sane Clypeum utroq; genere pro scuto Virg. posuisse, agnoscit Nonius Marcellus, non malus author: *Ardentes* quippe *Clypeos*, & ita alibi, & nono: *Clypeum superintonat ingens*; Clypeum ingens recto casu indubitato legit Nonius, cui Servius assentitur, dum per hoc expressum ait illud Homericū *ἀρδόντι δὲ πύλῃ. Ἰν δὲ τῶ*, quod etiam alibi Virgil. expressit: *Sonitum super arma debere.* Sed ut has Grammaticorum altercationes omittamus, quamvis hae tibi doctissime Nicolae, numquam displicue-

plicuere, de significato rei potius agamus. Dedicabatur sane Clypeus iis, qui grave aliquod periculum à Republica propulsassent, sustulissentque; penitus, propugnationis defensionisque memoriam: huiusque rem gestam imaginibus explicabat. Denique hoc non tantum de militaris Clypei forma intelligendum est, quantum de quacumque dedicatione in alicujus præclari viri memoriam posita, & vel sculpta, vel inscripta ad posterorum memoriam: cujusmodi marmorea æneaque tabulae & Romæ & alibi adhuc superant, quæ omnia Clypei cognomentum usurparunt. Trahit vero me gestæ rei tam præclara magnitudo. ut *πύργων*, sed forsitan non importune dicam, qualianam essent, quæ clypeos hujusmodi mererentur. In longa sane tempora spectatus est clypeus aureus in Romana Curia collocatus, qui senatus totius iudicio in D. Claudii honorem affixus erat, quod ille ut primum Imperator salutatus est, tricena xx. millia Barbarorum, qui adversus Imperium Romanum arma sumptuerant, naviumque, si Pollioni credimus, duo millia felicissimo successu delevit, adeoque attrivis, ut paucos ad solum patrium redire permiserit. Extat adhuc exemplum ejus epistolæ, quæ ita scribitur: *Claudius Broccho. Delevimus trecenta viginti millia; duo millia navium merimus, & quæ sequuntur.* Adducit hoc in memoriam, quod duodecimo de bello Macedonico apud Livium legitur, clypea arata ab A. D. C. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba posita. In codicibus vetustis manuscriptis clypea arata legi. Quod vero ad arma pertinet, Pœni quoque clypeos ex auro facitavere, sculptis imaginibus, & secum in castris tulere.

## LACONES. CAP. XLIX.

*In clypeis  
piæ, vel  
inscrip.*

ET literæ nonnumquam singulæ, hieroglyphicorum munus explevere: Apud Romanos id frequentissimum, in omnibus fere familiis appellandis. Sedenim de his dicere, tam longum quam superfluum esset. Id unum, quod ad arma pertinet, dicam, A literam in Lacedæmoniorum scutis notatam, populum eum significasse.

## MESSENIUM. CAP. L.

AT in Messeniorum clypeis, qui & ipsi clarissimi olim extitere, M descriptum erat, sui & ipsius populi significatione.

## MOROSITAS. CAP. LI.

*Dionysii  
dilectum.*

Quod ideo non sum referre gravatus, quia arrepta hinc occasio est in argutum Dionysii dictum illabendi. Erat in antiquorum fortibus M. litera morositatis & stoliditatis signum, unde proverbium, *ελαχες ε M, obvenit tibi M*, objectumque aliquando Dionysio cavilli vice, cui fors obvenerat *M. μεγαλογεις Διονυσι*, cui tamen & vase, & vero de se præfatio respondit ille, *μναρχη* *Colly* *iv* Quamquam ex eo quod res optime successit Dionysio, proverbium illud, *Sortitus es M*, de Callidis, & longe majora quam in hominum spe, aut opinione fuerint attentantibus, dici mox ceptum.

*Proverb.*

## DE Σ. ET Κ. CAP. LII.

Ad demus illud Σ, signum in Equos impressum apud Græcos curiosiores, indicasse ejus generis Equos, qui Samphoræ vocabantur. Imo quia Σ, illis in usum fuerat, eo sunt nomine nuncupati, vocabulo ipso notæ hujusmodi signum præ se ferente, uti Koppatix, quibus κ generis erat signum. Fuerunt enim, ait Eustathius, qui *κδπη* literam *κδπη* nominarent, uti nunc Theutones plerique omnes Papa scribunt, & Pōpa enunciant. Ita Dorienfes *Στγμα,σας* dicebant, ut apud Athenæum. Samphora igitur à ferendo *Στγμα*.

## NEFASTUS. CAP. LIII.

*N. l. quid.  
N. D. quid.*

ET ne singulas literarum notas alieno loco commemorem, subsequenti in ordine literæ M, significatum in Pontificum libris tantum liceat addidisse: per eam siquidem nefasti dies notabantur. Notum illud, N. l. pro non liquere, positum in judiciis. Et N. D. neci datum interpretari, quod nihil non fati constat. Verum illud non importune addiderim, Neci datum intelligi, sine vulnere mortuum, ut puta veneno, aut fame, sed hæc tamen auctores confudere.

## SALII. CAP. LIV.

DE Saliis, quorum insigne esset thorax aeneus, & Ancile in dextera manu, in lava vero Pelto, cum historia sit scholis omnibus notissima, supervacaneum judicavi plura repetere.

## DE GLADIO. CAP. LV.

Post arcum & sagittas, jacula, pilaque & scuta demum, Gladius locum habeat, cujus plurimus ex omnibus armis usus,

## CRUDELITAS.

## CAP. LVI.

Id vero præcipuum ejus erat hieroglyphicum, ut pro crudelitate poneretur, cujusmodi nuncupatione Ægyptii Ochum appellare soliti sunt, qui quidem Persarum Rex omnium crudelissimus, ac maxime formidabilis, cæde omnia sedavit, quacunquē per Ægyptum progredere, quodque apud eos inexpiabile facinus habebatur, Apin ipsum jugulavit, & amicis epulandum apposuit, atque ita universam Ægyptum unius animalis cæde luctuosam fecit, tanto is odio gentem eam persecutus est.



Ochi Regis  
crudelitatis

## SCELUS. CAP. LVII.

Præfectum gladio sinciput, scelestum indicabat facinus: ita enim αἰνοσύνη interpretabimur ex Hori Nilaiici dictatis.

Crudelitatis  
præfatio

## OCHUS PERSARUM REX.

## CAP. LVIII.

Quare apud Ægyptios machææ nomen imagove, in Regum nomenclatura pro nomine Ochi hieroglyphicè exponebatur, atque ita recenscebatur, ab instrumento eo tam lethali sumpta similitudine. In Asino sane dictum, quoniam argumento Persarum Magi crudelitatem in eo ab initi Regni principio præfagiverint: quia scilicet Artaxerxe patre defuncto, in ingressu regni lautiori, ut sit, mensa ex pluribus eduliorum condimentis apposita, Ochum animadverterunt manus primum ad cultrum injecisse, mox ad panem, & carnes, quas avide & immoderate comedit.

## VERBA. CAP. LIX.

Diogenes verba gladio comparavit, cum adolescentem formosum admosum turpia quædam fabulantem audivisset: Non te inquit, pudes ex eburnea vagina plumbeum gladium exercere? Invenies vero passim de maledicis verbis proscindere: & eloquentiam ipsam esse gladium, & gladium in ore alicuius gestare, qui ut ait Horatius, sit

Qualibet in quemvis opprobria fingere seruis.

Et sacra nostrorum litera linguam gladio sæpe comparant, ut Psal. 58. Lingua eorum gladius acutus, & subsequenti: Exacuerunt ut gladios linguas suas, ubi quidem de calumniis & insidiis sermo est, quæ ab hostibus parabantur. Aliter apud Paulum, cum ait, vivum esse Dei sermonem, & efficacem, & omni gladio accipiti acutiorem, penetrabilioremque. Hebr. 4.

Diogenis  
dictum.  
Hinc spectare  
potest illud  
D. Hieronymi ad  
D. Augustinum,  
Nelle litus  
gladius.  
Ad verbum  
ab Erasmo  
Chil. i. cen.  
i. prob. 1.  
Gladium  
acutum a  
Veritas.

## PERICULOSUS. CAP. LX.

Quod vero declinatum subterfugio acutum gladium Pythagoras monuerit, dicens οὐδένα μὴ χυαίνῃ δάσσει πέπυ, plerique symbolicum sensum secuti, a periculosis negotiis abstinentium interpretantur.

## JUSTITIA. CAP. LXI.

Juniorum autem inventum est justitiæ severitatem atque rigorem, per exertum ensē manu virginea prætentum significare, cui ad æquitatis judicium trutinam etiam addidere. Sedenim apud veteres aliter traditum inveni, qui justitiam cum libratibus omnino lancibus in læva figurabant, sed in dextera non ensē, sed fasces cum adalligata securi statuebant, merita æquaq; ex hujusmodi hieroglyphico

glyphico præmia merentibus impendi atque distribui, hinc scelerum convictis castigationem impendere significantes. Sed enim species hæc duas secum mulieres captivas trahit, unam, quæ fractum ensẽ manu præterdit, alteram, quæ conto innititur, duo ex hoc figmento vitia domita indicantes, ut ex utriusque medio virtutem ipsam adstruerent, per fractum scilicet ensẽ severitatem nimiam retusam cohibitamve intelligentes: per contum, lenitudinem ad ferulam revocatam, qua judicia plus æquo producebantur. Ind enim contatio, quæ retardationem significat. Lenti vero sunt, qui nullo atroci quantumlibet scelere concitantur, neque publicis neque privatis injuriis commoventur. Sunt tamen & alia justitiæ hieroglyphica, quæ locis suis, prout res exigit, exponuntur. Apostolus tamen ait, judicem esse Dei ministrum, ideoque non sine causa portare D gladium: vindex enim in iram ei, qui male operatur. Et quoniam satis constat gladium severitatis animadversionisque indicium esse, prætereundum non est, quod in Divinis literis saepe mentio fit ancipitis gladii, cujus hieroglyphicum est, quod in judicio corpus atque animam punire simul potest, vel quod & supplicio præsentis pœnæ, & futuræ metu puniat. Ita accipi ancipites gladios in Sanctorum manibus. Nam ut & Eucherus ait, qui mundi peripsemata, & quisquiliæ creduntur, de nationibus ac Regibus judicabunt.



## IRRITATIO. CAP. LXII.

*Quales for-  
san gladii  
Delphici.*  
Nep. *andri-  
ep. un-  
oxal. C.*  
*Ignem*  
*gladio ne  
foedito.*  
*Satyr. 3.*  
*Hu. adde  
crucorem,  
atq. ignem  
gladio ser-  
vare.*  
*Tōωp ὕ-  
rem lavare.*

**I**gnem vero gladio dissecare, quid sibi velit apud Pythagoram, non facile fuerit augurari, cum in ejusmodi symboli enarratione diversi abeant præclari admodum viri. Nam D. Hieronymus, atq; etiam Cyrillus, impudentem, ac ira percitum animum asperitate verborum (is enim gladius est) non esse laceſendum exponunt. Diogenes, potentiorum iracundiam non incitandam interpretatur, cui sententiæ subscribit etiam Plutarchus. Et Flaccus Horatius cum in Sermonibus dixit, atq; ignem gladio secare, nihil aliud prorsus sibi voluit, nisi admonere nos, ne magnorum hominum indignationem adversus nos provocaremus, laceſeremusve.

## NULLIUS FRUGIS OPUS. LXIII.

**R**em, quæ neque usui, neque efficaciam respondere possit, non sollicitandam, attendendamve, Lucianus, Basilius, & Plato, hinc significari arbitrati sunt, quorum si qua est autoritas, apud admodum, qui studium in nullius frugis opere infumptum significari voluerit, hominem pinget flammam gladio dissecantem. Cui simile dicterium illud, *Aquam in mortario tundere*: neque non, *Late-  
Tōωp ὕ-  
rem lavare.*

## CÆSAR. CAP. LXIV.

*πληγῆν.*  
Lucianus  
in scilicet.  
Apud Te-  
rentium in  
Phormion.  
A casoma-  
triu utero  
dicitur Cæ-  
sar, vel ab  
Elephanto  
caso. Unde  
casones et-  
iam dicitur.  
Meminit  
Suet. in Ty-  
berio. c. 19.  
Esaiæ 27.

**Q**uod vero fabulantur Cæsarem per cultrum significari, juniorum inventum est, non infelix tamen. Nam cultrum pro dissolvendi incidendive significato poni apud Jamblichum reperias, in iis, quæ scripsit ad Porphyrium.

## PONTIFEX. CAP. LXV.

**J**am & inter insignia Pontificum, Flaminumve, cultri species aspicitur oblonga, manubrio, quod Jex ebore fieri solebat, & ex auro, vel ex argento, rotundo, solido ad capulum juncto, fixo clavibus æreis, ære Cyprio, ut apud Pompejum legitur, cui à secando secespita nomen fuit.

## SPIRITUS SIBI REDDITUS. CAP. LXVI.

**Q**uinetiam Pontificis nostri JESU CHRISTI gladius celebratur, qui, ut celebri pentametro fertur,  
*Non venit pacem mittere sed gladium.*  
quod apud Matthæum præcipue legitur. Apud Esaiam vero Dominus intentato gladio visitare fertur. Per hunc Adamantius dissecionem Spiritus à carne videtur intelligere. Carnis enim sunt fornicatio,

**A**nicatio, immunditia, adulteria, veneficia, idolorum servitus, & quæcumque dictu factuve feæda perhibentur, quæ omnia Domini que Deique nostri secespita abscidit abstulitque. Antea enim quam ille nos inviseret cælo delapsus, non erat ensis hic inter mortales, neque caro quicquam adversus spiritum concupiscebat, neque spiritus adversus carnem. Adventu vero ejus edocti sumus, quæ carnis essent propria, quæque spiritus, doctrinaque ejus quasi gladius vibratus carnem à spiritu dissecuit, disseparavitque, ut inde viveremus in spiritu, neque rerum nostrarum summam in carne, sed in spiritu statueremus, non corruptionem à carne, sed beatorum vitam à spiritu in lucroreposituri

## MORS. CAP. LXVII.

**A**puð Scythas, qui multa Ægyptiorum more confinxerunt, à quibus, ut veteres quidam autho-  
Lucianus in Toxari.  
Scytharum  
juramentu,  
 res tradunt, etiam instituti sunt, gladius mortis erat symbolum: fuitque maximum omnium illis juramentum, ventum & acinacem attestari (acinaces enim ut Medorum, ita eorum gladius est) per hunc quidem interitum, aut salutem: in eo enim salutis suæ præsidia statuebant, per ventum autem animam, hoc est, vitam interpretantes, quod scilicet tamdiu vivamus, quoad vitales auras carpere permillum est. Pari modo in ofentis mali hominis & eadem minitantis habitus, ut Helvidio Pertinaci accidit, qui ante triduum quam occideretur, in piscina sibi visus est videre hominem, à quo gladio infestaretur. Eodem significato formidabilis minabundusque Galba, cognita Nero  
Sueton. in Galba c. 11.  
Libelli duo  
in secretis  
C. Caligulae  
inventi.  
Suet. in Caligula c. 49.  
 nis nece, suscepta que Cæsaris appellatione, iter ingressus est paludatus, pugione ante pectus à cervicibus dependente, usu togæ non prius recuperato, quam omnes qui res novas moliebantur oppressisset. Quid vero libelli duo, qui reperti sunt in secretis C. Caligulae post ejus necem, in quibus notæ nominaque continebantur mortu destinatorum? præscripti enim erant diverso titulo, alterique Gladius, alteri Pugio nomen erat, per hunc eos qui clam opprimendi essent, intelligebat: per gladium, quos palam cadere destinasset: moliebatur enim Princeps carnificinæ deditus, electissimum quemque utriusque ordinis interimere, mox Antium, inde Alexandriam commigrare.

## IMPERIUM. CAP. LXVIII.

**I**am & potestatem & imperium ex gladio significari, à nostræ pietatis fundatoribus accepimus. Nam quod responsum à pio discipulo est, *Eccæ duo gladii*, sacræ Legis interpretes humanarum divinarumque rerum potestatem sub Christianæ Reipublicæ principe perventuram præmonstratum ajunt. Apud Chaldaeos idem indicatum, cum Darius vaginam acinacis, quem gestabat, Perfico ornatu conspicuam haberet, longe ante quam Alexander è Græcia moveret in Asiam, eam ornatu Græcanico communiri jussit, quo facto Chaldæi responderunt, Imperium, quod Darius obtinebat, in eorum jus venturum, quorum arma imitatus esset.

## DE SECURI. CAP. LXIX.

**E**st & Securi à secando nomen, quare Demosthenes Phocionem orationum suarum securim appellabat: brevi enim ille, sed acuta oratione, Demostheni plurimum adversabatur. Et Hieremi-  
Plutarcho, in Demosthene.  
 as sermones Domini sicut securim ait, quæ vel petras incidat.

## LYDIÆ REX. CAP. LXX.

**E**A non Romanos tantum Consules insignes faciebat, verum & Lydiæ Reges, quorum gestamen erat. Inde Jovis Labradai simulacrum, quod securis labris Lydorum vocabulo dicebatur.

## ROM. COSS. CAP. LXXI.

**R**omanarum vero securum significata cum scholis sint omnibus admodum vulgata, plurimique una cum Plutarcho rem interpretati sint, eas ad scelus, quod emendationem non reciperet, excidendum comparatas, ulterius ego de his quicquam in medium afferre superfedabo.

Yyy

ANIM.



## ANIMADVERSIO. CAP. LXXII.

*Hinc Tenedia securi.*  
*πενδι.*  
*πτελευς.*  
*Tenedius numus.*  
*Hinc Tenedi.*  
*δι.*  
*αυ.*  
*βρωπ.*  
*pro innox-*  
*abili & te-*  
*trico viro.*  
*Plus in col-*  
*lellaneis*  
*Adag.*  
*Proverbiis.*

Neque enim apud Romanos tantum, sed etiam apud aliquot Græcorum gentes securis severis-  
 sima fuit animadversionis hieroglyphicum, ut in Tenedio numo, de quo Pollux, cernere est.  
 Tenediorum enim Rex cum legem eam tulisset, ut in adulterio deprehensi mas & femina eodem  
 supplicio securi subicerentur, neq; filio peperisset suo, rem eo monumento iussit insigniri, quo Te-  
 nedius numus signatus est: de quo Aristoteles in Tenediorum Republ. una quippe parte securis est  
 cusa, altera capita duo.

## DURATURA MEMORIA. CAP. LXXIII.

Antiquorum memoriis plerisque securim & asciam, sed hanc frequentius, videas adsculptam,  
 addito etiam elogio, *Sub asciam de di veteris*, quotiens defunctus non obliterandam de sepulchro  
 memoriæ cavet, aversaque ideo scalpitur ferri acies. Sed in Divinis literis, per asciam simpliciter  
 pravorum hominum in insectandis abolendisque proborum operibus studium & conatum intelli-  
 gimus: ut Psalmo 74, *In securi & ascia dejecerunt eam*,

## DE FALCE. CAP. LXXIV.

*Quia falcis*  
*in ventor,*  
*qua etiam*  
*Calypso*  
*abscondit si-*  
*riam.*  
*Apollonium*  
*l. 2. Argon.*

Falx præcipue in Saturni manu, temporis, quod uniuscujusque rei maturitatem attulerit, hierogly-  
 phicum est, quod & nomen ipsum *δεξπαις* præ se fert. Nam aqud Græcos *δεξπαις* vindemiare  
 est atque metere. Tempus autem edax rerum, omnia demetit.

## AGRICULTURA. CAP. LXXV.

Uero Cyprianus sentit, rei rusticae, quam Saturnus docuisse fertur, signum fuit. Nam finis ejus  
 indultriae est, metere, fructusque colligere.

## CASTIGATIO. CAP. LXXVI.

Quam vero falcem in custodis hortorum manu veteres posuerunt, ad fures arcendos, aversaque  
 ne fructus læderent deterendas, antiquum inventum est, castigationis quippe hieroglyphi-  
 cum. Apud Zachariam Prophetam siquidem legas capit. 4. *Falces quam videre visus est longuissimi*  
*cubitorum viginti, latitudinis decem, contra fures eam, & contra perjuros exacutam, inferrique eam in*  
*domum furis atque perjuri.*

## DE SERRA. CAP. LXXVII.

*Hinc illud*  
*Es. cap. 10.*  
*Serra glori-*  
*osus contra-*  
*trahentem.*

Inter instrumenta secandi & Serra est, eadem militare vocabulum. Ea sane in Aegyptiorum ob-  
 liscis frequens habetur: caterum apud eorum anthores, quos viderim, quid ea sibi velit, traditum  
 non inveni.

## MALEDICENTIA. CAP. LXXVIII.

Placides maledicentiam, sive ut ipse scribit, maliloquium, per Serram significari observavit. Sive  
 id ob dentium seriem, quæ mordacitatem innuere videat-  
 tur: sive ob invisum stridorem, maximeque auribus infen-  
 sum, quem in nodos præfertim illapsos reddit, acerbo, ut in-  
 quit Lucretius, horrore concitato.

## ANCEPS PUGNA.

## CAP. LXXIX.

Incipitem vero pugnam, victoriam alternatim modo  
 in hanc, modo in illam partem, vicissitudine sapius  
 variata, inclinantem, significare qui volant, *Serra pugnare*  
 dicunt, aut præliari. Id est tunc, Festus ait, cum frequens  
 est conferta pugnae vicissitudo, cumque assiduo acceditur  
 & receditur, neque ullo consistitur tempore, quod quidem  
 ab secandi gestu desumitur: serra quippe modo in hanc, mo-  
 do in illam partem assidue tracta.



SERRA.

**I**n militari disciplina Serra subsidium significat, de qua apud Fl. Vegetium : *Si ducenda seris, ex abundantibus ducendam esse. propterea quod si de loco suo ordinatum militem transferre cuperis, universa turbabis.* Serra enim à strenuis directa, ante frontem hostibus opponitur, ut turbata acies reparetur, sitque ad similitudinem A literæ vel libellæ fabrilis. Fuit etiam Germanici numi nota, de quo apud Tacitum legas, eaque de causâ Serratus dicitur.

DE GALEA. CAP. LXXXI.

**Q**uoniam de armis ad offensionem comparatis est dictum satis, nunc de galea & thorace, quæ ad defensionem accipiuntur, dicendum aliquid.

PRINCIPIA OCCULTA. CAP. LXXXII.

**G**alea, qua Plutonis caput in primis tegitur, significat occulta esse principia generationis. Plutonium autem Solem interpretantur, eo tempore quo per hyemem remotas à nobis mundi partes circuit : unde etiam Proserpinam rapuisse confinxere, de cuius rei significato passim habetur. Illud addam, sceptrum illi & breve & aduncum figurari, quod inferioris regni iudicium habetur.

ROMA. CAP. LXXXIII.

**R**omæ quoque caput galeatum in numis passim, & aliis veterum monumentis. Id quamvis alia de causa fieri dixerimus, nisi ut fuisse eam omnino Martiam intelligamus ?

THELESILLA. CAP. LXXXIV.

**E**t Thelesillæ Archivæ poeticis studiis claræ statuam se vidisse Pausanias affirmat, quæ una manu galeam, altera velitarem hastam teneret, libris circa pedes appositis : ob præclarum scilicet facinus, quod illa castis acie ad unum Argivis à Cleomene Spartanò, senes & pueros armatos mœnia tueri iusserit, ipsa cum valida mulierum manu hostem ad urbis direptionem incurstantem exceperit, fuderit, fugaveritque.



*Sic Græci  
πάλαιον  
vobis di-  
unt.*

PERICLES. CAP. LXXXV.

**C**ur vero Periclis statuæ casside tegerentur, si quaesierit quis, sciendum id à sculptoribus ea de causa excogitatum, ut eo remedio capitis vitium emendaretur : capite enim is fuisse traditur oblongiore, nec cæteris partibus respondente, quod deformiorem hominem red-  
debat. Constat eum ab obtrectatoribus ea de causa *ρονονικέ Φαλον* appellatum, utpote qui caput *ρονονικέ-  
Φαλον* iunci instar acutum notarent. Quo vocabulo nonnulli decepti, *κωϊκός Φαλον* apud Plutarchum *Φαλο-  
δίτιος* Un-  
de Statius : *Propugnac  
pellens tho-  
mæ.*

DE THORACE. CAP. LXXXVI.

**T**horax porro munimenti signum ponebatur : vitalia enim defendit universo pectore circum-  
fusis. Deque hoc Antisthenes Philosophus dicere solebat, *είνα Φάλαστρον επλον είναι τλω άρε-  
την* virtutem, quod auferrî minime posset, munimentum esse. Nam & ensis & clypeus excuti amittique  
possunt : sapientiæ arma, quæ quis accinctus fuerit, firma sunt & stabilia. In pectore autem ita  
habere sedem sapientiam, ut pro sapientia pectus ipsum aliquando ponatur, ostendit Horatius, ubi  
dicit in Epistolis,

*Non tu corpus eras sine pectore,*

Yyy 2

PUGIO.

## PUGIONES. CAP. LXXXVII.

Quaerit aliquis, quid in numis Bruti pugiones duo significant, adiecto pileo. Sed quoniam inter vestimenta, ubi de pileo agitur, explicatum est ex Dione, pugiones eadem, pileum vero Libertatem significare, proindeque ex numo illo, Brutum & Cassium per eadem patratam patriae liberatores indicari, non esse haec duximus ulterius repetenda.

## DE CASTRIS. CAP. LXXXVIII.

Inter castrensia ornamenta honoresque, inuenias plerisque locis non tantum signa, verum etiam & arcas pullarias, & castrorum ipsorum modulos, & signorum tum loculos & coronas, quae quoniam observatione digna sunt, & eruditibus jucunda, minime gravatus sum quaedam subtexere: qualia uno marmore apud Paulum Cardinalem Caesum animadverti.

*Castrorum  
descriptio  
antiqua.*

Castra quidem huiusmodi quam adpinximus contignatione fabricata erant, signis octo pro parte qualibet ita compactis, ut tribus quaque locis in transversum conferta, clavis sive fibulis leonina capita praeseferentibus conjungerentur: quorum quidem clavorum hieroglyphicum in primis erat, ut in Leone suo loco dictum: *Vigilandum esse*. Supra huiusmodi castrorum speciem capita duo adsculpta erant, velo quodam a dextro usque in laevum protento, & superinsidente. Supra utrumque caput singulae laureae. A castrorum angulis, inferiore parte, loculi duo, unus hinc, inde alter, qui quadrata forma, intus vacui, in acutam cuspidem desinebant. Hi terrae impungebantur pro theca, mox signi pars ima in eum inferebatur. Ibidem erat & pullaria cavea cum duobus pullis pascentibus: inter quam & castra signum Aquilae conto praefixum. Idque manifeste ostendit, qua ratione fieret, cum exemptus loculo contus suspensus videatur, loculo vacuo apparente. A lateribus longissimi conti duo, signis, praemiis, & gestaminibus militaribus instructi, in quorum summo cuspis ad loculorum formam, ima pars ferro praemunita, capulisque praedita, ut commode fisti & avelli possent. Sed jam & inscriptionem harum rerum indicem, & faciem ipsam marmoris representemus.

M. POMPEIO M. F. ANI ASPRO  
 LEG. XV. APOLLINAR. S CHO. III.  
 PR. PRIMOP. LEG. III. CYREN. PRÆF.  
 CASTR. LEG. XX. VICTR.  
 ATIMETUS LIB. PULLARIUS  
 FECIT ET SIBI ET  
 M. POMPEIO. M. F. ET CINCIÆ  
 COL. ASPRO SATURNINÆ  
 FILIO SUO ET UXORI SUÆ  
 M. POMPEIO. ASPRO FIL. M. F. COL.  
 MINORI.



Apud Dionem leges de loculo parvo, in quo Aquila aurea collocaretur, eum longissimo conto præfixum in exercitu à signiferis gestari, qui, ut facilius impingi terræ posset, in acutam.



cuspidem defineret. De quo videndus etiam Cornelius Tacitus, in expeditione Germanici, ubi de hoc loculo, sive de sistendis signis loquitur.



Yyy 3

Sed

Sed quoniam superioris marmoris inscriptio quaedam habet, quae interpretatione indigeant, ut Centurionis signum apud veteres usitatissimum, & alia in dictionibus concisa, operae pretium visum est, ne quid à quoquam desideretur, totam eam explicare.

MARCO POMPEIO, MARCI FILIO, ANISIO ASPRO CENTU-  
RIONI LEGIONIS DECIMAE QUINTAE APOLLINARIS CENTU-  
RIONI COHORTIS TERTIAE PRATORIAE PRIMOLLARI LE-  
GIONIS TERTIAE CYRENENSIS, PRAEFECTO CASTRORUM  
LEGIONIS VIGESIMAE

VICTRICIS,

ATIMETUS LIBERTUS PULLARIUS FECIT

ET SIBI ET

MARCO POMPEIO MARCI FILIO, ET CINCIÆ

COLLIBERTÆ, ASPRO SATURNINÆ FILIO SUO,

ET UXORI SUÆ MARCO POMPEIO MARCI

FILIO COLLIBERTO ASPRO FI-

LIO MINORI.

## JOANNIS PIERII VALERIANI HIEROGLYPHICORUM

LIBER XLIII.

DE IIS QUÆ PER SELLAM, CURRUM, FULMEN  
SIGNIFICANTUR.

Ex sacris Ægyptiorum Literis.

AD REVERENDISS. PATREM NICOLAUM SCOMBERGUM  
CARD. CAMPANUM.

**M**axime vereor, sapientissime Pater, ne aliquando me tacito cogitationis convicio verberari, quod tua erga me beneficentia tibi conscius, totque insuper meritorum, quae à te summa semper alacritate profecta sunt, nullum adhuc grati animi signum in me conspexeris elucere. Scias tamen accidisse, non negligentia, non rusticitate, non ulla tuorum erga me meritorum oblivione, sed ob eximiam commodorum, quae abs te sum assidue consecutus, magnitudinem. Ea quippe vel singula, pro quibus immortales tibi agere gratias debuissim, ingenium ita meum obruere videbantur, ne poterim ulla unquam meditatione parem verborum copiam excogitare, aut ulla mihi in parte satisfacere. Dicendum enim erat, quanta me semper humanitate vir tantus amplecti persequeretur, ut meorum omnium rerum patronus extiteris officiosissimus, ut vita dignitatisque, meae rationem omnem favore, presidioque tuo tuendam, juvandam, sustentandam, ornandamque, etiam susceperis: denique, auctor fueris, ut illustri adulescens Hippolytus, quem à summo Pontifice ejus patrio mihi regendum, instituumque, mandari precumveras, me tandem egere vetuerit: unde factum, ut aliquando mihi asserere, & interimissa per tot annos studia repetere licuerit, quodque parturiebam opus absolvo demum sperem: quod omnium meritorum maximum semper appellabo. Nam etsi alia per jucunda saepe mihi fuerant, nullum tamen hoc utque opportunius accidit, neque commodius. Cujus quidem consilii mei majorem in dies singulos fructum voluptatemque percipio. Hinc enim evenit, ut nulla in amicos, quos mihi parva literarum commercia conciliaverant, non obscura forsitan extarent officia, dareturque interim occasio, ut meum summum ergate studium inciperem omnino patefacere, quod omnium maxime cupiebam. Parum enim eximiam ab tali mecum cogitasse, quae menti semper firmiter inhaerant, nisi res ipsa aliquo, ut ut fieri poterat, signo ceteris omnibus innotesceret. Visum itaque est unum de commentariis, quae per datum à te mihi orium